

tradere. Quid juvenem excitare posset ad eiusmodi miseriam ferendam, quam evitare potest, domi remanendo et mensam gubernatoris, qui ipsum magnopere amat, visitando? Interim is tamen 800 collegit genera vegetabilium in ista insula germinantium, inter quæ 200 nondum descripta sunt. Piora 50 genera primo anno descripta et ad me transmissa tradere debui Præfecto cameræ redituum, vnde salarium eius solvitur, et vnde officium eius dependet. Ab hoc, semper occupato, nunquam in meas manus redigere potui herbarium vivum &c. Optarem serio, vt generosius ipsi stipendium procurare possem, ad sumtus in eiusmodi studio melius ferendos. Si quis Magnatum Vestrorum eum suis sumtibus sed generosioribus tenere vellet, is sane libenter præsentis suo officio abdicaret, seque totum Illi traderet omnemque fructum studiorum suorum. Is paratissimus est ad quasvis peregrinationes suscipiendas, immo tot morbis superatis etiam aptissimus. Tamquam medicus (est medicinæ licentiatus) coloniam vicinam Hispanorum visitavit et admodum exoptat occasionem provincias mexicanas visitandi. In describendis plantis ad gustum Tuum peritissimus est. Posses tum ipsum sub Tua directione mittere quorsum placeret. Hic pro eodem, tamquam extraneo, vix ulla spes mihi videtur adesse eius statum meliorandi. Cum hic optimæ spei juvenis anno 1756 hic commoraretur, patrimonium suum non exiguum bello tum incipiente Lipsiæ peribat, adeoque is tum momento ex divite pauperrimus factus eam stationem tamquam divinam sortem ambabus accipere debebat, quam ego ipsi ægerrime comparabam, quam neque obtinisset, si invidentes vel rivales eius stationis adfuissent. Præcedenti anno transmissa naturalia et scripta omnia propter deductas a prædatoribus naves in anglicanos portus ibique detentas perierunt. Inter reliqua stirps altissima sacchariferæ arundinis florentis, arboris instar, dolio implantata, dolenda est. Conchylia quædam pretiosissima naufragio ad portum Norvagicum perierunt. Alio naufragio ad insulas Hetland Adansonii conchylologia Senegalliæ, quam D^o de Rohr transmiseram, is vero deinde remiserat, conchylorum esca facta est. Jam de eo agitur, ut alium juvenem tam-